



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. VI. Quo tempore producantur Species Angelicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

sententia) concurrente, determinatur anima ad elaborandas certas species: Angelus autem nullam huiusmodi intrinsicam determinationem praevidiam habet, nec vllum domesticum instrumentum accipit ab objecto, quo adjuvante producat species.

CONTROVERSIA VI.

Quo tempore producantur Species Angelicae.

895. Prima sententia est, Angelos accipere species successivè ab objectis, quando illis locum applicantur. Scotus, Alensis, Major, alij.

Secunda asserit, omnes species fuisse Angelis statim à principio congenitas, & nullas ab illis acquiri successivè. Ita Valentia, Granadus, & Thomista communiter. P. Esparza hoc ipsum quidem asserit, sed supponendo potius, quam probando; nec argumenta contraria solvit, contentus probasse, quod à solo Deo producantur.

896. Tertia sententia, media, docet, quasdam species esse à principio congenitas, quasdam verò postea successivè acquiri, non quidem quod physicè causentur ab objectis, sed quod existentia quorundam objectorum sit conditio requisita ad hoc, ut species postea infundantur à Deo. Hujus sententiae Authores non omnino conveniunt in assignandis illis objectis, quorum species primum successivè acquiruntur. P. Suarez docet, actum Voluntatis & Intellectus, tam proprium quam alienorum futurorum, species, non esse à principio congenitas, sed acquiri successivè; deinde etiam extendit ad species rerum praeteritarum, quas vult acquiri, quando obiectum est praesens, quarum beneficio reminiscitur objectorum praeteritorum, quae praeteritorum. Denique extendit ad species objecti vniuersalis quae vniuersalis.

897. Cardinalis de Lugo, & Arriaga, magis adhuc extendunt, nempe ad omnes effectus futuros dependentes à libertate alicujus agentis; & quia tandem omnis effectus futurus est dependens saltem à libertate Dei, fatentur, omnium futurorum, ab Angelo in tempore cognoscendorum species, successivè infundi, tunc scilicet quando illi effectus producantur.

898. Dicendum 1. à principio fuerunt Angelis infusae species objectorum tunc existentium, secretis cordium exceptis, & si quid aliud erat, quod ab Angelis naturaliter cognosci non poterat, aut non oportebat. Ratio est; tum quia Adamo fuerunt huiusmodi species infusae, cur non multò magis Angelis? tum quia incredibile est, Angelum à principio creationis non potuisse cognoscere res vllas existentes, nisi prius se illis applicasset. Et quia in hoc ferè conveniunt auctores, ideo non est in ejus probatione immorandum.

899. DICO. 2. Probabilius videtur, Angelis non esse à principio creationis congenitas species ad cognoscenda directè, & cum absoluta affirmatione, ea, quae deinde successu temporis producta, & ab Angelis cognita fuere. Dixi. cum absoluta affirmatione. Nam dubium non est, quod cum affirmatione conditionata & indirectè potuerit Angelus cognoscere effectus futuros multos in suis causis necessarijs, nempe sub hac conditione: nisi Deus ordinem naturae velit immutare.

900. Probatur Conclusio. Si Angelis fuissent connaturaliter congenitae species futurorum, potuissent connaturaliter cognoscere illa futura ut futura, antequam essent facta. sed hoc nec adversarij admittunt. Sequela probatur. Quandocumque existit adaequatum principium alicujus effectus, debetur connaturaliter concursus ad illum effectum producendum: sed, si species futurorum essent congenitae, existeret adaequatum principium cognitionis de illis objectis pro posteriori temporis differentia existituris: ergo deberetur connaturaliter concursus ad cognitionem eorum ut futurorum.

901. Respondebis, concursum ideo non deberi ante actuale existentiam objecti, quia species in operando pendent ab actuali existentia objecti, non quidem tanquam à causa physica, sed tanquam à conditione sine qua non: sicut in sententia constituyente Relationem praedicamentalem in Entitate modali, cujus adaequatum principium sit fundamentum, in hac inquam sententia, productio illius modi, pender ab actuali existentia termini, tanquam conditionis.

902. Sed contra est primò: Tunc solum asserendum est, aliquid in operando pendere ab alterius actuali existentia tanquam conditione, quando effectus producendus connaturaliter supponit existentiam talis conditionis: sic in exemplo allato, relatio praedicamentalis est modus referens ad terminum ut actu existentem, est enim actualis Paternitas, similitudo, aequalitas &c. vnde si terminus non existeret, falsificaretur illa relatio. Jam verò cognitio futurorum quae talium, non supponit existentiam objecti pro tunc quando affirmatur, imò supponit necdum existeret: ergo existentia objecti non deberet expectari ab Intellectu Angelico jam instructo specie objecti tanquam vicaria illius, ut posset elicere cognitionem affirmativam futuritionis illius.

903. Contra. 2. Etiam si speciebus impressis non deberetur concursus antequam existant objecta futura ad ea quidditative & intuitivè cognoscenda, adhuc duo inconvenientia sequuntur. Primum est, quod Angelus praesciret futura saltem cognitione abstractivà, sequelam probo: cognosceret enim se habere speciem representativam talis objecti futuri pro tempore quo existeret, & simul etiam adverteret, defacto denegari usum illius speciei: vnde colligeret, defacto quidem non existeret, sed tamen existurum objectum; sciret enim quod species non futurorum

urorum non infundantur. Secundum inconvenientis est, quod Angelus non posset scire, quandotam inciperet sibi vsui esse species talis objecti, sed deberet identidem tentare, & experimentum velle capere: & quia non posset simul tentare omnes species quas habet, propter limitatam potentiam ad certum objectorum numerum, ideo non posset nisi casu fieri, vt primo statim tempore, quo objectum ponitur, illud cognosceret: cum tamen deberet statim posse scire, quando objectum incipit existere: hoc autem in nostra sententia facile declaratur: quia Angelus reflexe semper cognoscit suas species, adeoque advertit novam productionem speciei, & per consequens, habet in sua potestate vt ejusmodi specie si velit, vt constabit ex dicendis.

904. Obijcitur. 1. Ex nostra sententia sequitur, Angelos non esse à principio pradiros Scientiæ plenitudine, quod est contra id quod habetur Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis, plenus Sapientiâ &c.* sequitur itidem, in modo intelligendi reperiri in Angelis infantiam, adolescentiam, & ætatem virilem, sicut in homine, quod est contra S. Basilium.

905. R. Si ex absentia specierum arguitur vacuitas scientiæ, & infantia, quidni pariter ex eo quod quidem habeant species, sed non possint illis vt, donec objecta existant? Neque dicant aduersarij, habuisse saltem plenitudinem scientiæ in actu primo. Nam plenitudo Scientiæ in actu primo remoto, non est æstimabilis & commendabilis, vel certe non minùs erit in nostra Sententia, quia Angelus exigit habere species pro tunc, quando vsui esse possunt, & hæc exigentia est plenitudo scientiæ in actu primo remoto. Respondetur nunc directè, Angelos habuisse plenitudinem scientiæ in hoc sensu, quod statim ab initio creationis cognoverint omnia, quæ tunc ab illis erant cognoscibilia, ita vt defectus non fuerit in Angelo, sed in objecto. Ad illud de Infantia, negatur sequela; quia Infantia significat defectum dispositionum in potentia cognoscitiva, etiam præsentè objecto, qualis non reperitur in Angelo.

906. Denique sufficeret, quod Angeli habuerint statim ab initio scientiam valde magnam, & non solum naturalem, sed etiam supernaturalem, vt dicerentur esse pleni Scientiâ, sicut Beatissima Virgo salutata fuit ab Angelo *Gratiâ plena*, quamvis deinceps toto vitæ tempore semper creverit in gratia.

907. Obijcitur. 2. Cum nostra sententia non videtur consistere, quod Angeli habeant species magis minusve vniversales. R. Negando sequelam: hoc enim saluatur in speciebus à principio congenitis. Deinde, perfectior Angelus potest simul vt pluribus speciebus ad eliciendum vnâ cognitionem plurium objectorum, sicque generare speciem vniversaliorē, quàm possit generare Angelus inferior.

908. Immo hinc confirmari potest nostra sententia. Aduersarij tenentur admittē, diu defacto in Angelis species tam vniversales, vt aliqua saltem illarum sit apta repræsentare distinctè objecta Syncategorematicè infinita, qualem speciei vniversalitatem in Angelis non recorder me ab vilo admissam legisse: sequela autem probatur. Objecta futura per totam æternitatem sunt Syncategorematicè infinita, nempe cognitiones & volitiones Angelorum: atqui ad hæc omnia cognoscenda secundum aduersarios habet Angelus species ab initio congenitas, vt præ reliquis expressius faretur P. Elparza; Ergo vel habet Angelus species numero infinitas (quod est absurdum concedere) vel habet vnâ tam vniversalē, quæ æqualeat infinitis, & seruire possit ad cognoscenda infinita: si enim singula species intra numerum finitum existentes possunt tantum finita repræsentare: ergo possunt mensurari numero finito: ergo non extendunt se ad omnia finita futura in infinitum.

CONTROVERSIA VII.

Quæ ratio sit, cur Angeli non possint cognoscere Secreta cordium.

909. Certum est, Angelos non cognoscere hominum aut aliorum Angelorum Secreta cordium, hoc est liberos actus, & quæ essent illorum manifestatiua, nisi consentiente illo, qui hos actus habet. Textus Scripturæ adduxi in Institutionibus, & breuiter rationem exposui, vbi videri potest.

910. Queritur itaque, vndenam hæc Impotentia proveniat, & quid impediatur Angelos ab horum objectorum cognitione certa, quandoquidem objecta existunt, & secundum se sunt entitates cognoscibiles ab intellectu Angelico, cum quisvis Angelus in seipso cognoscat huiusmodi actus.

911. Prima Sententia est Scoti & Scotistarum, quos sequitur Theophilus Rainaudus *Theol. Natur. d. 4. q. 1. a. 4.* hoc non provenire ex intrinseca natura Angelorum & horum objectorum, sed præcisè ex libera Dei ordinatione, quam revelavit in sacris litteris.

912. Dicendum tamen est, hoc provenire ex natura & exigentia substantiæ intellectiue. Probatur. 1. Sacra pagina vocat cor hominum inscrutabile; patere soli Deo, & inde commendatur specialiter Scientia Dei; hæc autem non debent in alium sensum detorqueri ab eo, quem præferunt primo aspectu, nempe significant intrinsecam inscrutabilitatem, sicut dicitur Deus invisibilis, Christus impeccabilis &c.

913. Probatur. 2. Si sententia aduersariorum vera esset, non fuisset bonum argumentum Divinitatis Christi, quando ad eam probandum Christus manifestavit Gentilibus Secreta cordium.